

suos arma convertere, que in hostes exacerat justus zelus.
 27 Quò etiam tendit nobile illud Apophthegma nostri Regis Henrici III. meritò à Docto, & Pio Viro Ægidio Davila (g), qui nuper ejus historiam edidit, commendatum, quatenus quibusdam consulentibus, ut ad Regios redditus augendos, & belli sumptus faciendos, novum quoddam vestigal vassallis imponeret, Regiè egregièque respondit: *No me lo aconsejeis, que temo mas las lagrimas, i maldiciones de mis pueblos, que las armas de mis enemigos.*

28 Ac planè, qui se veros Reges, hoc est Populorum Patres, & Pastores ostendere volunt, illud etiam curare summopere debent, ut si fortè urgens aliqua causa, gravia & insueta Tributa subditis imponi suaserit, eadem causa cessante, tollantur, & quod bellorum calamitas introduxit, Pacis lenitas sopiat, ut alibi (r) Justinianus Imperator, Caducarias leges abrogans, dixit, & latè prosequitur Tiraquellus (s), hanc necessitati legem imponens, licèt aliqui legibus carere dicatur, ut ejus causa cessante, cesset quoque, quod ob eam statutum, aut introductum est: quia ut præclare Innocent. Papa (t), idem ipsum edocens, subjungit, *Quod pro remedio statutum fuit, constat primitus non fuisse. Aliudque est ordo legitimus, aliud quod usurpatio ad præsens fieri tempus impellit.* Et ut ait Dionysius Halicarnæus (u): *Quicquid necessitas pro tempore, vel privatis, vel civitatibus affert, tantisper duret, donec cesset ea necessitas.*

29 Qua de re cum plura alia Vasquius (x), Molina (y), Klock, Cochier, & alii (z), quos novissimus Aschaffenburgius adducit, comminiscantur, contentus ero laudabilem hujus rei consuetudinem Gallorum referre, quorum Reges, ut Cochier (a) tradit, solemne juramentum præstare solent, quo disertè cavent, se tributa ob necessitatem ingruentem imposita, remissuros, ut primum hanc cessare compertum fuerit. Quod Philippum Longum, Philippum Valesium, Henricum IV. & alios, re ipsa confirmasse, iidem Auctores testantur, licèt hoc ita malè à pluribus observari soleat, numquam quod semel assumpserunt, remittentibus, ut benè ex Alcibiade Marquez (b) dicere poterit, eos speluncis leonum similes esse, alludens ad illud Horatii (c):

*Olim quod vulpes agroto cauta leoni
 Respondit, referam, quia me vestigia terrent,
 Omnia in adversum spectantia, nulla retrorsum.*

30 Et extat notabilis Novella (d) Tiberii II. Imperatoris, qua suis Populis futurorum tributorum relevationem, & præteritorum indulgentiam pro quarta parte concedens, ad hoc se in memoriam & honorem Passionis, ac Resurrectionis Dominicæ, & exemplum Ægyptiæ servitutis, motum fuisse rescribit, & ex justitia, & benignitate: *Quarum altera æquabiliter suam cuique tribuit, neque appetit aliena: altera ad misericordiam recurrit, & debitorum incommoditate egentes subditos liberat.* Unde ibidem benè Interpretes (e) adnotant, hanc, de qua loquimur, relevationem Tributorum, ex Principum justitia procedere, & vel hac deficiente, ex sola Benignitate, sive Philantropia, hoc est, subditorum amore, ad illorum moderationem suaderi debere, ne nimium gravati deficiant. Nam ut vetus Monostichum monet,

Reges boni minuunt tributa, augent mali.




EM-

(g) Ægid. Gonzal. in Chron. Henr. III. cap. 5. pag. 9.
 Bobad. in Polit. lib. 5. cap. 5. num. 10.
 (r) Just. in l. unic. in princ. C. de caduc. toll.
 (s) Tiraq. de ces. caus. 1. part. num. 184.
 (t) Innoc. PP. in cap. quod pro remedio, 1. quest. 7.
 (u) Dion. Halicarn. lib. 8.
 (x) Vasq. de Menchac. de succ. prog. in præf. num. 68.
 (y) Molin. tom. 3. disp. 68.

(z) Kloc. Cochier. & alii apud Ascaff. de arar. pag. 208.
 & 823. Cabrer. de metu, lib. 2. cap. 23. num. 30.
 (a) Cochier. in Thesaur. polit. lib. 2. cap. 10. fol. 95.
 Ascaff. ubi supr. & iterum pag. 586.
 (b) Marq. lib. 1. cap. 30. pag. 105.
 (c) Horat. lib. 1. epig. 1.
 (d) Tiber. Imper. Novell. 163. de relevat. tribut.
 (e) Cujac. Joachim. & Matth. Steph. in d. Novell.

IN PRINCIPES INSUETA TRIBUTA IMponentes.



*Crudelis Princeps, Sceptrum cur tendis in umbram
 Arboris? Et nummos cur Tibi solvit inops?
 An juvat, umbra fugax solvat nunc ista tributum?
 Cum sit at ipso nihil, quid habet? Ecce nihil.
 Vincit Avaritia imperium; quod si fugit umbra
 Non fugit, Imperii si sit Avara manus.*

COMMENTARIUS.

¶ Uti moderatum in Tributis principem cupimus, satis à multis, & præsertim gravibus, & insolitis, abstinere debere manifestamus. Sed quoniam, ut habet in suo Panegyrico Plinius (a), numquam Principibus defuerunt, qui fronte gravi, & tristi supercilio, utilitatibus Fiscì contumaciter adsint, & omnia subditorum bona ipsis subjacere susurrent, eò miseros subditos adigentes, ut novis, iisque gravissimis indictionibus oppressi, veteres se persolvere posse desperent, & ad vetera tributa deficiant, non videbor oleum, & operam perdere, si in prava hac doctrina convincenda, & compescenda, & improba ejusmodi hominum face, aut verius face, à Palatiis eliminanda, aliquantisper immerer.

2 Certò enim certius est, eos, qui hoc audent vel audiunt, non tam Christianum seculum sapere, quam illud Domitiani, de quo idem Plinius subjungit, exturbatis prioribus dominis, omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum, immensa possessione circumvenisse, & unius oculis flumina, fontes, maria deservisse, nihilque esse, quod non sunt videret; atque adèd jam spoliarium civium, cruentarumque prædarum receptaculum effectum fuisse. Ita ut de eodem dicere poterit Juvenalis (b),

*Quicquid conspicuum pulchrumque ex æquore toto
 Res fisci est, ubicumque natat.*

Sss

Bo-

(a) Plin. in Paneg. ad Trajan.

(b) Juven. satyr. 4.

3 Bonis quippe, Christianisque Principibus, magis preces, quam prædæ subditorum placere debent, & ut D. Chrysostomus (c) monuit, *Ob illorum magis, quam ob proprias dolere calamitates.* Secumque semper illud Seneca (d) reputare: *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius, pulchriusque esse, quam illa corona ob cives servatos.* Scireque (ut cum Cassiodoro (e) loquar) se pro remedio datos esse cunctorum, proprium gaudium ducere subditorum quietem, ornatum, illorum securitatem, suave luctum, si nesciant incommodum, & hoc verè gratanter accipere, cum eos gaudia habere præsentiant. Regisque nostri Alphonsi X. oraculum, non minus istis, cordi defigere (f), *Debe otrosi guardar mas la procomunal de su pueblo, que la suya misma.*

4 Et longè à se Commodianos istos amandare, qui illud purius splendidiusque credunt aurum, *Quod (ut ait (g) Pacatus) dederint dolentes, quod hominum lachrymæ, non annium aquæ abluerint;* etenim si capite plectitur, qui Principis Monetam vitiaverit, quanto dignior est eo supplicio, qui Principis ingenium in re adèd gravi seriæque corruerit.

5 Illa namque sententia, quæ temere, & per palpum, in contrarium obijci solet, ex quadam Imperatoris Justiniani constitutione (h) desumpta: *Quod omnia Principis esse intelligantur;* inter plures alias expositiones, quas eidem Pinelus (i), Covarruvias (k), Sarmentus (l), Antonius Roscius, (m) & alii passim Auctores assignant, illam, ab Accursio ibidem tradita, verissimam recipit, ut quod ad Protectionem, vel Jurisdictionem attinet, accipi debeat; nam in reliquo, non dedignantur Pii, Modestique Principes, jura sua communia sibi esse cum privatis, & unum quemque verum, & proprium rerum legitime acquisitarum dominum, liberumque moderatorem haberi.

6 Quæ traditio pro se habet Aristotelem (n), qui huc omnia Principi reducenda esse, prudentissimè docuit, ut iis, qui sub Imperio sunt, non Tyrannum, sed Patremfamilias, aut Regem agere videatur, & Rempubicam, non quasi Dominus, sed quasi procurator, & præfectus administrare, moderatèque vivat, nec quod nimium esse sectetur (o).

7 Sed apertius adhuc eidem favet Seneca (p), meritò à Cujacio (q) laudatus, dum dixit: *Sub optimo Rege, omnia Rex Imperio possidet, singuli dominio. Nam cum Regio more cuncta conscientia possideat singularum autem rerum in unumquemque proprietas sit sparsa, & accipere munus, & debere, & emere, & conducere potest. Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum, ac sua. Et universa in Imperio ejus sunt, in patrimonio propria. Quid ejus sit, quid non sit, sine diminutione Imperii queritur: namque quod tamquam alienum abjudicatur, aliter illius est, &c.*

8 Quo etiam tendens Guntherus (r), Fridericum Æneobarbum Imperatorem sic loquentem inducit:

*Invigilent opibus cupidi, mihi sola potestas
Sufficit, & cunctis dare jura potentia terris.
Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,
Quicquid in occultis abscondit terra cavernis,
Jure quidem nostrum est, populo concedimus usum,
Rege figuratam, Regis patet esse Monetam,
Cæsaris & domino, sub Casare fulget imago.*

9 Et ante eum Tertullianus (s), illam adulatorum ferocium, Cæsarem omnium dominum appellantium, sic eludit, *Quid erit Dei, si omnia sunt Cæsaris?* & D. Gregorius (t) Regis descriptionem enarrans, quæ in Sacra Pagina legitur, eique plenum jus in personas, & bona subditorum tribuere videtur, non ad historiam præcipi inquit (ut malè nuper malus quidam Auctor (u) probare contendit) sed ut ostendatur, quid acturi sint Reges reprobi, quid vitaturi sint boni, de quibus ex adverso in Deuteronomio (x) plena extat narratio, ut Ego etiam pluribus relatis alio loco (y) disserui.

10 Nunc eosdem Reges, ut ab immoderatis & insuetis tributis abstineant, Honorii Patrem Et

(c) D. Chrysost. epist. 23. ad Roman.
(d) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 26.
(e) Cassiod. lib. 6. epist. 24. lib. 10. epist. 27. & alibi passim.
(f) L. 9. tit. 1. part. 2.
(g) Pacat. in Paneg. ad Theod.
(h) L. bene à Zenone, C. de quad. præscript.
(i) Pinel. in rubr. de restit. 1. part. cap. 2. n. 25.
(k) Covarr. 3. var. cap. 6. num. 8.
(l) Sarm. 1. relect. cap. 20. num. 8. & alii ap. Alfanz. coll. 4. & Ascaff. ord. 814. Castill. 2. contr. cap. 28.
(m) Roscius 1. mens. cap. 3. num. 8.

(n) L. in re mandata, C. mand. 1. in tradition. D. de pact. cum simil.
(o) Aristot. 5. polit. cap. 11.
(p) Senec. lib. 7. de benef. cap. 5. & 6.
(q) Cujac. lib. 15. observ. cap. 30.
(r) Gunther. in Lygur. lib. 3.
(s) Tertull. in lib. de idollotr. cap. 25.
(t) D. Gregor. lib. 1. Reg. cap. 10. in expos. 4.
(u) Warem. in tract. de Feder. lib. 1. ex cap. 1.
(x) Deuteron. 17. 14.
(y) Ego 1. tom. lib. 3. cap. 8. n. 22. & seq. & sup. Embl. 22.

imitandum proponens, qui apud Claudianum filium hortatur (z),

Ipsa continui cessent augmenta tributi.

Et idem ipsum præenti Emblemate admonens, ex Romanorum aliorumque exemplo, ac pictura desumpto, qui, ut post Pinium (a), Cujacius (b), Petrus Gregorius (c), & alii Auctores (d) dolenter enarrant, eò avaritæ sive crudelitatis præcesserunt; ut ordinariis præstationibus non contenti, pro arborum umbra pro aère, pro fumo à suis subditis vectigal exegerint; cum tamen nihil in rebus humanis inanius amo ac umbra reperitur, quæ esse tantum videntur, cum nihil sint. Quare Eschillus, & Pindus apud Erasmum (e), hominis vanitatem, sive unitatem, sive inanitatem exaggerare volentes umbram, & quidem fumi, esse dixerunt. Et tyrannica illa vox *Pescenit Nigri* ab Spartiano (f) damnatur: *Vos terras vestras levare censitione vultis, Ego verò etiam aërem vestrum censere vellim.* Et D. Chrysostomus (g) eandem plagam suo seculo taxans: *Ut pecunias (inquit) congeramus, elementa liberè vendimus, viæ vectigales sunt, aer venalis est, Decur-*

11 Sed neque ex fum solùm, verùm & ex fimo sive stercore, ab aliis tributum exactum legitimum, & notum est Vespasiani urinarum vectigal apud Dionem, & Xiphilinum (i). Qui etiam de stipibus, quas mendici crogabant, partem habere voluit, & Adagio locum fecit: *Lucri bonus est odor ex re qualibet; utatius in ejus explicatione tradit Erasmus (h).* Quinimò pro natis, pro denatis, pro baptisteriis, pro conjugis, aut divortii, pro canibus, pro mulis, pro caudis jumentorum, pro lenonibus, pro prostribulis, pro barba, & coma prolixiori sinenda (quod ad eas, quas hodie, heu, videmus, & vocamus *Guedejas*, aptari potest) pro funeribus, pro comœdiis, aliisque ludis publicis, pro fœnabulis, pro litibus, pro tegulis, pro lateribus, pro singulis focis, aut fenestris, pro sugruudiis, & projectis, pro arborum ramis in cœlum exurgentibus, vel in Regias vias propendentibus & pro aliis similibus rebus, quæ vix mente concipi, nedum verbis exprimi possunt, à variis Occidentis, & Orientis Imperatoribus tributa imperata reperiuntur, ultra ea, quæ jam in ordinaria præstatione transierunt. Inter quæ & illud sigillatè Papyri, quod nuper à Batavis renovatum, à Beyerlinchius (k) observat, ad Hispaniam nostram migravit, & olim Græcis etiam cognitum, à Ascaffus (l) tradit, Chariatium dicebatur.

12 Quò respiciens Erasmus (m), vetus illud Adagium illustrans, *A mortuo Tributum exigere*, quo notabantur, qui per fœs, nefasque divitias undecumque congerere satagunt, solita sua dicendi libertate usus: *Nunc præcessisse*, (inquit) *habendi rabiem, ut nihil sit usquam in rerum natura, neque sacrum, neque prophanum, unde non aliquid fœnoris extendatur.* Et statim variorum tributorum, exactio numque, & exactorum species, ac damna commemorat. Quæ, & dolentius adhuc Massiliensis Episcopi Salvianus (n) integro Commentario persequitur, & Romanorum Rempubicam, vel jam mortuanam, vel certè ultimum agere spiritum, tributorumque vinculis, quasi prædonum manibus, strangulati, pauperesque necari, collachrymatur. Quod etiam suo tempore ingenuit Boëtius (o), sic iniuens: *Provincialium fortunas publicis vectigalibus pessumdari, non aliter quàm qui patiebantur tholui.* Ubi benè Joann. Bernartius in notis, advertit, non tam Boëtium ob tributorum impositionem stomachari, quæ scire debuit ad Reipublicæ quietem & tutamen, ut jam dixi, omninò requiri sed solùm provincialium fortunas publicis & insolitis vectigalibus pessumdari, meritòque odio haberi debere, *homines cum senis manibus, genere Geryonaco*, qui ut Comicus jocatur, rem avertit cum pulvisculo.

13 Qua de causa nihilmagis in jure cautum videmus, quàm ut novæ & illicitæ, gravesque præstationes, & exactiois prohibeantur (p), ac reprimantur, ut alibi (q) fusius ostendo. Et verissimè, simulque sanctissimè Romani Pontifices, inter atrocissimos casus (r) Sedi Apostolicæ reservatos, illud semper umendum, putarunt, cum Domini Christiani, populorum sibi subditorum cervices, vel novis pnsionum oneribus premunt, vel auctioribus cumulant. Semperque Pii quilibet cordatique Princes, Imperatoris Justiniani (s) documentum sequentes: *Ilia agere, & quæ*

(z) Claud. in 4. Cons. Honor.
(a) Plin. lib. 12. cap.
(b) Cujac. lib. 10. obs. cap.
(c) Petr. Gregor. lib. 22. synagm. cap. 12. & de Rep. lib. 3. cap. 4. & 5. lib. 6. cap. 3. num. 8.
(d) Heigius 2. part. q. 40. um. 155. Clapm. de arcan. cap. 24. Eremberg. de sub. Reg. pag. 61. Ascaff. de arar. ord. 17. 826. & 885. Cabreri de metu lib. 2. cap. 23. Cromerus de reb. Polon. lib. 2.
(e) Erasm. in Adag. Homodulla, pag. 712.
(f) Spart. in Pescen. Nig.
(g) D. Chrysost.
(h) Ego 1. tom. lib. 3. cap. 8. n. 22. & seq. & sup.
(i) Erasm. in Adagio pag. 7.

(k) Beyerl. in Theatr. verb. Vectigal, pag. 15.
(l) Ascaff. de arar. pag. 18.
(m) Erasm. in hoc Adag. pag. 77. & 78.
(n) Salvian. de provid. Dei, lib. 4. per tot.
(o) Boet. lib. 1. pror. 4.
(p) L. illicitas, D. de off. Præsidi. tot. tit. C. vectig. nov. inst. non posse.
(q) Ego latè 2. tom. lib. 1. cap. 1. ex num. 21.
(r) Bull. Cen. Domini ann. 1568. cas. 4. Sylvestr. verb. Gabella, Navarr. in Manual. cap. 27. n. 58.
(s) Auth. ut jud. sine quoq. suffrag. in princip. l. unie. C. ne oper. accollat. lib. 10. Ego latè 4. lib. 1. cap. 18. ex num. 70.

rere debent, quæ utilitatem suis subjectis introducendo, omni eos onere liberent, & omni damno extrinsecus illato, citra publicum censum, & justam legitimamque collationem.

14 Certe enim, ut Cassiodorus (t) addit, Servientium inminutio est, novarum illationum accessio, quantumque pars nova proficit, tantum se vetus firmitate subducit. Cui similis Symmachus (u) eandem attentionem Constantio Imperatori consuluit, eam reddens rationem, Quod si exigantur insolita, consueta fortè cessabunt. Et D. Gregorius (x): Auditum intolerandum appellat, duplicium tributorum exactionem, quam exigenti Antonio, liberè Hybicam respondisse, tradit Plutarchus: (y) Si vis duas collectas, da duas messes. Nec minori libertate, quam veritate, Erasmus (z), de instituendis Regibus agens, sic habet: Qui suos tantum curant, quatenus expedit propriis commoditatibus, ii non alio loco cives suos habent, quam vulgus hominum equos, & asinos: nam hos quoque curant illi, sed omnem curationem suis; non illorum usibus metiuntur. Ceterum, qui rapacitate deglubunt populum, aut crudelitate laniant, aut per ambitionem suam periculis omnibus obijciunt, pejore loco cives habent liberos, quam vulgus empta jumenta, aut lanistæ sua mancipia. Quod, ubi civium capita censebantur, captivitatis genus quoddam sapere, graviter Tertullianus (a) his verbis ostendit: Sed enim agri tributo onusti, viliores hominum capita stipendio censa ignobiliora: nam hæc sunt notæ captivitatis.

17 Et hoc agnoscens D. Ludovicus, verè inter Reges Gallos Christianissimi appellatione dignus, testamento suo Philippum hæredem, ac filium rectè hæc in verba monuisse, ultra illius Regni Scriptores, Ribadeneira noster (b), & Marquez (c) enarrant: Fili mi, ante omnia in eam curam incumbere, ut Deum culta & amore prosequaris: Animos pio, & humano erga mendicos, & ærumnosos homines, illiusque pro viribus opem feras: justas tui Regni leges observes, ne subditis tuis tributa imperes, aut imponas onera, nisi necessitas urgeat, teque manifesta utilitas Regni compellat, idque non ultrò, sed gravi de causa facias, si secus faxis, non Rex, sed Tyrannus habebis.

18 Indeque (pluribus aliis, quæ in rem hanc adduci possent, ad plures alios, qui de ea ex professo agunt, remissis) apud omnes jam ferè nationes invaluit, ne nova gravioraque Tributa, nisi ex totius Regni consensu comitaliter congregati, à Regibus imponantur, ut de Gallis, Anglis, Germanis, Belgis, & aliis, Bodinus (d), & alii (e) Auctores scribunt, & in nostra Hispania jam diu moris fuisse lex Regia (f) testatur, circa cujus illustrationem & praxim, multa Marquez (g), Bobadilla (h), D. Joannes de Larrea (i), & alii (k) congresserunt. Quod licet an expediens sit? in questionem vocet, & disertè ad partes disputet Joan. Barclajus (l), suisque Argenidis, & Poliarchi fabulis, sive ludis, plura seria commiscens, adulatoriè in Regiam inclinet, quasi Solio repugnet, ei soli liberum in hoc arbitrium non dari, & imperii nervos, id est ærarium, in potestate populi esse, cum bellorum causæ, & momenta, in quæ diriguntur, à Regia tantum dependeant, & sæpè hujusmodi convocationes, & comperendinationes pati non possint. Certius tamen & securius est, Populorum quoque assensum requirere, qui numquam solet Regibus justa petentibus denegari, & requisitus, eosdem populos ad querenda & eroganda nova vectigalia promptiores reddit, securioresque, Regium animam non in privatum luxum, aut commodum, sed in communem omnium utilitatem intendere. Alioquin (ut vel ipse Barclajus considerat) quis diuturnam, & publicam pacem speret, si quæ Rex admittit civibus, facit sua, quæ relinquit, adhuc habet cum illis communia? vel quid hoste victore acerbius expectare populi possent, si in explebilem aliorum Regum voraginem, pro ipsorum solo arbitrio explere cogantur, qui Erisichoniam famem habentes, semper vacui, erectisque in nova, ac futura tributa votis, egere se dicunt. Et hoc nimium est, quod queritur Cassiodorus (m), Tributa sæpè sub colore alicujus publicæ utilitatis, aut necessitatis Indici, cum tamen nulla exinde insurgat promissa constructio, addeas, Nimis enim absurdum est, spondere munitiones, & dare populis execrabiles vastitates.

20 Pro qua sententia, omissis aliis, quæ nostri Bobadilla (n), Marquez (o), Mendoza (p), Larrea (q), & Saavedra (r) laxiori calamo tradunt, advocare quoque ad partes possumus clarissimum,

(t) Cassiod. lib. 4. epist. 38.

(u) Simmach. lib. 10. epist.

(x) D. Gregor. lib. 9. Regum cap. 1.

(y) Plutarch. in Anton.

(z) Erasmi. de Reg. instit.

(a) Tertull. in Apolog. lib. 2. cap. 13.

(b) Ribaden. in Princ. Christ. lib. 2. cap. 10.

(c) Marq. in gubern. Christ. lib. 1. pag. 204.

(d) Bodin. de Repub. lib. 6. cap. 2.

(e) Polidor. Virg. in histor. Angl. Petr. Gregor. lib. 2. synagm. cap. 3. Theat. vir. human. verb. Tributum, p. 214.

(f) L. 6. tit. 7. lib. 6. Recop. Corset. de potest. Reg. quest. 49. num. 3.

(g) Marq. ubi sup. & cap. 16. pag. 88. & seqq.

(h) Bodill. lib. 1. cap. 5. num. 3. qui alios adducit, Cabrer. de met. d. cap. 23. num. 49.

(i) Larrea plenius ceteris alleg. Fisc. 1. part. allegor. 59. ex num. 10.

(k) Ascaff. de ærar. pag. 542.

(l) Barclaj. in Argent. lib. 4. Pont. Lips. Navarret. Diana, & alii ap. Cabrer. supr. num. 49. pag. 361. Theat. vitæ hum. verb. Tributum, pag. 214.

(m) Cassiod. lib. 9. epist. 14.

(n) Bobadill. ubi sup.

(o) Marq. lib. 1. cap. 16. & 29.

(p) Mendoz. in lib. 1. Reg. cap. 17. vers. 4.

(q) Larrea ubi supra.

(r) Saaved. in Idiom. Polit. pag. 508.

mum, & morum Regionum, & Nationum omnium expertissimum Historicum Philippum Cominæum, (s), à Mariana (t) laudatum, qui seridè docet, Principes jus nullum habere onus aliquid imponendi invito populo. Caroli VIII. Galliarum Regis, cui ipse à secretis inserviit, hac in parte excessum reprehendens, & subdens, se legis exemplar testamenti Mahometi, eadem tempestate Turcarum Imperatoris potentissimi, & prudentissimi: In quo, inter alia, dolebat ei plurimum, quòd extra ordinem suis provinciis imperasset pecuniam.

21 Et quidem, cum ubi de indicendis novis vectigalibus agitur, non solum eorum quantitas, sed qualitas, atque æqualitas, & exactionis facilitas inspicere debeat, quia ut Cassiodorus (u) ait: Idonei damna vix sentiunt, tenues autem levi dispendio vulnerantur: quando vel mediocri injuria totum videtur amittere, qui exiguum cognoscitur possidere. Melius hæc omnia per plures Regni Proceres, aut Syndicos, quam per solos Principis trutinantur, & quid admitti, quid rejici debeat, maturiori judicio deliberatur: ut his proximis annis in Salaria per singulas domos distributione, & nuper in toties tentata, semperque suspecta, & ampliata, super farinam pensatione, contigisse videmus.

22 Et nunc cum hæc literis mando, in repellenda cujusdam ex his, quos Arbitristas dicimus, & ad suggerenda nova tributa prosiunt, propositione, legem rogari suadentis, qua ex omnium defunctorum hæreditatibus, pro patrimonii viribus, Fisco Regio, necessariò, adinstar legatorum, quæ vocamus Las mandas forzosas, aliquid relinqui, vel præstari deberet. Ea ratione addita, quòd hoc Tributi genus mortuis nihil detraheret, vel noceret, nec superstites valdè gravaret, quibus obveniens sibi in reliquo lucrum, & multoties insperatum, partis alterius detractionem tolerabilem reddere poterat. Cujus Propositionis examen cum mihi ab Augustissimo pariterque Piissimo Rege, ac Domino nostro mandatum fuisset, minimè dignam esse consului, ut à tali tantaque Majestate probari, & executioni mandari deberet.

23 Nam etsi de aliis similibus statutis apud Turcas mentionem faciat Petr. Gregor. (x) Apud Perusiam, & Mantuam, aliasque urbes, Angelus (y), Cyriacus (z), Ascaffus (a), & alii (b); & apud Batavos, Beyerlinch. (c) addens, nihil non ab ipsis molitum, ut injustæ suæ rebellionis molem sustinere valeant. Nec longè ab eisdem abesse videatur illud, quòd Augustus Cæsar à Julio ex cogitatum dixit, & exhausto arario Romanis indixit, lege illa lata, quæ Julia de vicesima dicta fuit, quoniam de omnibus hæreditatibus, & donationibus causa mortis, vicissima pars in ærarium deferri jubebatur, exceptis proximis cognatis, & pauperibus personis, ut ex Dione (d), & aliis latius Anton. August. (e) & alii passim Scriptores (f) recensent, & præcipuè Plin. Jun. qui de eadem latè in suo ad Trajan. Panegyri. agens, sic inquit: His vigesima reperta est, Tributum tolerabile, & facillè, hæredibus dumtaxat extraneis, domesticis grave, &c.

24 Hanc tamen legem, ob plures, quæ in ejus executione, atque exactione ingruebant difficultates & crudelitates, valdè postea Nerva Coccejus, Trajanus, Adrianus, Antoninus Philosophus, & alii Imperatores restrinxerunt, & limitarunt, & tandem, si Altiatus (g) credimus à Gratiano Imperatore in totum abolita fuit. Certè enim hoc indicare videntur Ausonii verba, eidem Imperatori ob hanc remissionem gratias agentis (h). Quæ quidem relatu mihi digna videntur, ut Pii quilibet Reges ad similes graviorum tributorum indulgentias excitentur, si laudes similes mereri, & audire desiderant: Neque verò (inquit) unum aliquod bonum uno die præstas, sed indulgentias seculares per singula momenta horarum multiplicas. Vel illud unum cujusmodi est, de condonatis residuis tributorum? quòd tu quidem cumulata bonitate fecisti. Quis unquam Imperatorum hoc provinciis suis, aut uberiore te indulgentia dedit, aut certiore securitate prospexit, aut prudentia consultiore munivit. Fecerat & Trajanus olim, sed partibus retentis non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio, quanta suberat amaritudo servati. Et Antoninus indulserat, sed Imperii non beneficii successor invidit, qui ex documentis tabulisque populi condonata repetivit. Tu argumenta omnia flagitandi, publicitus ardere jussisti. Videre in suis quæque foris omnes civitates conflagrationem salubris incendii, ardebant stirpes fraudum veterum, ardebant seminaria futurarum. Jam se cum pulvere favilla miscuerat, tam nubibus fumus involverat, & adhuc obnoxii in paginis concrematis actus apicum, & sestertiorum notas cum lubentia de ratione cernebant, quòd meminerrant legi, legi posse verentes. Quid indulgentias te, quid potest esse consultius? Quæ bona præstas, efficias ne cadauca sint: quæ mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva, &c.

Et

(s) Cominæus lib. 10. pag. mibi 657.

(t) Mariana. de mutat. mon. cap. 2.

(u) Cassiod. lib. 7. epist. 14. in fin.

(x) Petr. Gregor. 3. synagm. cap. 12. num. 7.

(y) Angel. in l. omnium, D. de usufr.

(z) Cyriac. lib. 1. controver. cap. 94. num. 30. & cap. 95.

(a) Ascaff. de ærar. pag. 934.

(b) Bornit. de reddit. ærar. lib. 9. cap. 1. & 2.

(c) Beyerl. in Theat. verb. Vectigal, pag. 14.

(d) Dio lib. 55.

(e) Anton. August. de legib. ex pag. 208.

(f) Cujac. 5. observ. cap. 16. & lib. 9. cap. 24. Petr. Gregor. d. cap. 12. n. 6. Lips. de adm. magni. lib. 2. c. 4.

(g) Altiat. lib. 3. dispunct. cap. 6. Vide etiam Rhodig. lib. 26. cap. 14. in fin.

(h) Auson. Gall. in Paneg. ad Trajan.

510
25 Et sive hic, sive alius Imperator fuerit, qui hujus legis omnimodam abrogationem, vel abolitionem induxerit, certè illud constat, tempore Imperatoris Justiniani, propter innumeras, quas pariebat lites, & difficultates, ab aula penitus recessisse, sic enim ipse in quadam (ex suis celebrioribus) sanctionem (i) præfatur: *Edicto D. Hadriani, quod sub occasione vicesimæ partis hereditatis introductum est, cum multis ambagibus, & difficultatibus, & indiscretis narrationibus penitus quiescente, quia & vicesima hereditatis ex nostra recessit Republica, &c.*

26 Hocque apud omnes in confesso est, licet Joannes Bodinus (k), cujusdam legis auctoritate motus, existimet, vicesimariam illam, à novioribus Imperatoribus, quamvis sub diversis nominibus renovatam, & Joannes Sturm (l) tradat, non usquequaque illud tributi genus damnari debere. Quod expressius adhuc censet Justus Lipsius (m) Plinii locum supra adductum illustrans, sic inquit: *Tolerabile, quid ni? Cum gaudio enim semper fructuque junctum. Et ubi largiter, sæpè inopinatè acquirerebas, quid acerbi aliquid detrabi? Mibi sæpè mirum, hodie, cum tam multa quaeruntur, odiosa magis, fructuosa minus, hoc tam promptum, & obvium usque adhuc neglectum.*

27 Parum quidem animadvertentes, quantis litibus, & difficultatibus subjaceret, quamque, & morientibus, & superstitiis grave esset, sub prætextu partis fisco applicandæ, omnes suas facultates intercipi, ad divisionem, & calculum revocari, exactorum, hoc est, prædatorum injuriis exponi, plurimisque aliis tricis, contentionibus, & discordiis, quas, ut alibi Papius (n) scripsit, materia communionis, ne dum cum fisco, verum & inter propinquos, & fratres excitare solet. Quæ quidem omnia efficiebant, ut non esset tanta in lucro delato voluptas, sive oblectatio, quanta in parte, quæ subtrahebatur, amaritudo, ut Ausonius supra relatus pupugisse videtur.

28 Et apertius insinuarunt Imp. Theodosius, & Valentinianus, quatenus de alia simili lege (o) tractantes, quæ ex Curialium bonis partem quartam à Curia percipi decernebat, ob prædictas, inquit, difficultates: *Ab hereditibus sua quoque jura præcipitari, dum participibus reliquarum opum nocere cupiunt, Naturæ quippè vitium est negligi, quod communiter possidetur; utque se nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur. Denique suam quoque partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ. Et statim aliam rationem subjiciant, quæ pariter rei, de qua agimus, convenit, quod scilicet, sub hac occasione, necessarium erat, secreta patrimoniorum, & suspectum æs alienum pandere, quod etiam jure (p) cavendum esse docemur: Quid enim (inquiunt) tam durum, tamque inhumanum est, quàm publicatione, pompæque rerum familiarium, & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere divitias.*

29 Accedit his, bonis, justisque Principibus, semper ejusmodi leges exosas fuisse, atque esse debere, quæ ex lucuosis subditorum casibus, aut morientium facultatibus lucrum sectantur (q). Indeque Papiam etiam Popæam, & alias Caducarias, tandem sublatas, ut latè Justinianus enarrat (r), & docto, tersoque admodum commentario, quem in lucem de eisdem adere parat, prosequitur Dom. D. Franciscus Ramos del Manzano, nostri temporis J. C. veteribus non inferior, & post Primariam in Salmanticensi Liceo Juris Civilis Antecessorem, & honorificas aliarum dignitatum infulas, nuper pro meritis, communi omnium plausu, ad Supremum Castellæ Senatam evectus. Quo fit, ut à legibus abrogatis, & antiquitatis, nec exemplum, nec argumentum sumerè liceat, & ut huc aptè transferri possit. Jambus ille, qui monet:

Omissa ne Rex revocet veltigalia.

30 Cui justè Regnanti, illud solum compendium placere debet, quod simul & licitum & honestum, ac decorum videri possit, non autem alienis bonis, aut hereditatibus invidere (s), quas, etiam ultro oblatas, Augustus, & Domitianus antequàm pravus esse inciperet, ab ignotis hominibus, maxime liberos habentibus, ut Suetonius (t) refert, accipere recusarunt. Idemque de Adriano Imperatore memorat Spartianus (u); & de Ælio Pertinace Julius Capitolinus (x), professum fuisse, inquit: *Se nullam hereditatem, quæ aut adulatione alicujus delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi heredes, & successores privarentur admissurum. Addidisseque S. C. hæc verba: Sanctius est P. C. inopem Remp. obtinere, quàm ad divitiarum cumulum per discrimina, atque dedecoris fastigia pervenire.*

31 Ad quam orationem respicientes Paulus Juris Consult. (y) & Justinianus Imperator (z), contra-

(i) Justin. in l. ult. C. de edicto D. Hadrian. tollend.
(k) Bodin. lib. 6. de Repub. cap. 2. per l. unic. C. de imp. lucr. descript.

(l) Sturm. term. 3. de bell. Tur. c. fol. 147.
(m) Lips. in notis ad Paneg. Plinii.
(n) Pap. in l. cum pater 79. D. de leg. 2. Savaro ad Sardon. pag. 223. Tiraq. de primog. quest. 4. num. 27. Bobadill. in Polit. lib. 1. cap. 1. num. 19.

(o) L. 2. C. quando & quibus.
(p) L. ult. C. de alim. pup. præstand.

(q) L. 1. C. de naufrag.
(r) L. un. C. de caduc. tollend.
(s) L. filius 11. D. de condit. inst. l. nepos, de verb. sign. cum aliis.
(t) Suet. in Augusto, cap. ult. & in Domit. cap. 9.
(u) Spart. in Adriano.
(x) Capitol. in Pertin. cap. 7.
(y) L. pen. D. de hered. inst.
(z) S. fin. Inst. quib. mod. test. infirm.


trarium facere invidiosum esse inquit, & contra bonorum Principum sectam, qui licet legibus soluti sint, tamen legibus vivunt. Quibus in locis Dionys. Gothofredus, post Baldum, notavit *Plura privatis permitti, quàm Principi. Principem, magis quàm alium, abstinere debere ab illicitis, & illa verba aureis literis scribenda.* Et Joannes Bodinus (a), ex eisdem intelligi, inquit: *Principum non esse, quibus dignitas maxime cara esse debet, ab omnibus omnia legata capere.*

32 Valeat ergo, qui coacta, etiam liberis & domesticis hereditibus existentibus, sancienda, atque introducenda suadet, quibus Parentes omnia ex voto parant, & in quibus continuatio domini, ut civilia jura (b) testantur, eò rem perducit, ut nulla videatur hereditas fuisse, & magis debiti solutio, quam muneris oblatio comprobatur.

33 Valeat iterum, qui in testamentis, quorum dispositiones omni jure liberæ esse jubentur (c), coactionem relinquendorum Principi legatorum, inducere tentat, & Catholicum Regem similem detestando Caligulæ facere, qui, ut tradit Suetonius (d), eorum testamenta rescindebat, nullavè esse dicebat, qui sibi in eis aliquid legatum non reliquissent; aut Marco Antonio, quem Cicero (e) graviter de eodem jussu, ac metu provincialibus illato, apud Populi Romani Senatam accusat.

34 Nec præstat, quòd hic suggestor, quasi Moniti sui basim, act fundamentum adducit, hoc nimirum tributi genus grave censi non posse: *Pues carga en los muertos, i alivia à los vivos.* Nam qui moriens hæc legata relinquere cogitur, adhuc vivus est, cum etiam ultimus ille articulus moriendi, vitæ potiùs, quàm morti à Juris Consultis (f) tribuatur, & nihil fortè cum huic oneri se tunc subjectum agnovit, in gratius duriusvè ei contingere poterit. Hæres quoque, qui ad solvendum adigitur, vivus est, & quàm amarè hanc præstationem subeat, supra retulimus.

35 Ut omitam absurdum esse, sub eo colore levia tributa dicere, aut reputare, quòd à Mortuis exigantur, cum imò ad eorum duritiem, & crudelitatem exaggerandam, vel in Adagium transierit, *A mortuo Tributum exigere, sive A defunctis, veltigal auferre.* Quod Erasmus ibidem, (g) illi cognatum esse inquit, quod *Farinas à statuis quoque poscere*, mandabat, & utrumque in Tyrannos dirigi, qui ne mortuis quidem parcebant, quorum magna fuisse apud veteres Religionem, & immunitatem, apud omnes constat, & latè Jacobus Gutherus (h) prosequitur. Ex quibus, & aliis rationibus, quas brevitati consulens silentio prætereo, dicta propositio hujus novi Tributi à potentissimo Rege nostro admissa non fuit. Idem mecum, uno ore, Regio justitiæ Senatu censente.



EM-

(a) Bodin. d. lib. 6. de Rep. cap. 2.
(b) L. Cum ratio, D. de bonis. damn. l. in suis, de liber. & posthu cum simil. cap. fin. 17. quest. 4. Text. optimus, & omnino videndus in l. unica C. de impon. lucr. descript.
(c) L. 1. C. de sacros. Eccles. l. verbis legis, D. de verb. signif. l. 3. D. de testam.
(d) Sueton. in Calig. cap. 38. N. Betsius de pact. fam. cap. ult. fol. 732.
(e) Cicer. Phil. 2.
(f) L. qui duos s. ult. D. de man. test. cùm aliis, apud Tiraq. de const. 3. part. lim. 2. num. 12. Altat. 2. parerg. cap. 44. & Costa 1. selest. cap. 14.
(g) Erasmi. in his Adagiis pag. 77. & 738.
(h) Guth. in tract. de jure maritum, per tot. præcipue lib. 2. cap. 4.